

darum PRAESES SUMMVS constitutus es. Quem maximum honorem vt Deus fortunet, precamur; quo potentissimæ Domui Electorali & vniuersæ reipublicæ saluber sit, Tibi vero ac Tuis semper gloriosus, & nobis ac Musis nostris faustus atque beneficus. Lætatur virtute tua, gratulamur gloriæ, & ominamur maiorem felicitatem, eamque Tibi Tuisque perpetuam. Est quoque,

sed hæreo, quia tua moderatio iubet hæsitare: dicam tamen, quia dignus es & incredibili virtute tua mereris. Est, inquam, quæ nouam gratulationem postulat, noua tua & fulgentissima dignitas, quam augustissimus inuictissimusque IMPERATOR, conscius meritorum tuorum, Tibi dignissimo offert; Tu vero animi tui moderatione ad hunc vsque diem deprecaris atque declines. Quum clari hominis iudicium, quod de virtute facit, haud contemnendum sit; quanti putemus æstimandum illud esse, quod de virtute & meritis tuis summus Christiani Orbis Princeps fecit? Quod vero maioris animi est, honorem oblatum recusare quam adsumere; vel eo nomine virtuti tuæ & animi magnitudini gratulamur, quod quum possis COMES esse, & monearis etiam vt sis: tamen malis sine titulo magnus esse, quam cum illo talis videri, quod dum facis, non modo par COMITIBVS es, sed virtute & animi continentia maior, immo maximus. Gaude igitur tuo isto tam excellenti bono: & frui cum fortuna & gloria, tum etiam natura & moribus tuis. Sic, qui dulcissimus fructus sapienti est, semper Te meritorum conscientia oblectabit, & gloriam tuam æterna prædicatione & memoria colet posteritas.



AD
PANEGYRICVM,
QVEM
ILLVSTRISSIMO VIRO
EVERHARDO
DE **DANCKELMANN,**
POTENTISSIMI ELECTORIS BRANDENBURGICI,
CLEMENTISSIMI DOMINI NOSTRI,
MINISTRO STATUS PRIMARIO, ET OMNIVM
CONSILIORVM COLLEGIORVMQVE IN AVLA,
IN PROVINCIIS
PRAESIDI SUPREMO,
LITTERARVM PATRONO MAXIMO,
IN ACADEMIA FRIDERICIANA
D. V. SEPTEMBRIS AB HORA X. cl. Id. XCV
GENEROSVS IUVENIS
GEORGIUS CHRISTIANVS ASTILLE,
EQVES MARCHICVS,
PVBLICO NOMINE DICET,
VTRIVSQUE REIPVB. PATRES ET CIVES,
ILLVSTRI GENERIS SPLENDORE, MV-
NERVM AMPLITVDINE, INGENII SPE AC
CLARITATE CONSPICVOS,
OFFICIOSE ET HVMANITER INVITAT
ACADEMIAE PRORECTOR
SAMVEL STRYKIVS, IC.
CONSILIARIVS INTIMVS BRANDENBURGICVS, PROFESSOR
PRIMARIVS ET COLLEGII IVRIDICI ORDINAR.
HALÆ MAGDEBURGICÆ,
EX OFFICINA ACADEM. CHRISTOPH. ANDR. ZEITLERI.

MAiori virtuti maiora præmia debentur, & cuique dignitas pro merito conferenda. Non enim iniqua virtus, ut neget cultori quod ipsius est: nec etiam parca, ut minus liberaliter, quæ datura est, dispenset. Romani imperii ut plura munia erant, quibus Imperatores administrari illud posteriori ævo voluerunt; videlicet Præfectorum, Vicariorum, Comitum, Proconsulum, Consularium, Ducum, Correctorum, & Præsidentum: ita, qui administrabant, titulis quoque & honoribus dissidebant, ut alii illustres, spectabiles alii, aut clarissimi, aut perfectissimi appellarentur. Cuius rei etsi frequens in Legibus mentio infertur; non tamen secundum leges & ex æquo videtur distributa, quum non primo loco statuatur, quæ causa & origo reliquorum est. Cetera enim sunt fructuum & præmiorum nomina; solus PERFECTISSIMATUS, meritorum; quod ille demum omni laude decorandus est, qui meritis & virtute est perfectissimus. Sed missa Augustorum constitutione, cuius nec certum auctorem recognoscimus, etsi antiquiorem Constantino Magno esse, ex Eumenii de restaurandis scholis oratione non ignoretur; omnino æquius iudicasse censemus serenissimum Principem ac Dominum nostrum FRIDERICVM III, Marchionem & Electorem Brandenburgicum, & cetera, qui pro diuina sapientia sua quem perfectissimum virtute censeret, tot annorum felici experimento confirmatus; eundem iussit illustrissimum esse, & omnium consiliorum collegiorumque Præsidentem. Quem ut ex merito laudemus, tantum nominandus est: nec enim quidquam tam illustre aut magnificum reperitur, ut vel dignitate vel celebri-

lebritate nomen æquet EVERHARDI DANCKELMANNI. Quanto is præsidio sit rei publicæ, quam perspicaci consilio, quam prouida cura, & industria infatigabili omnia complectatur, agat, expediat; non modo nostratibus, sed exteris etiam, procul a terra nostra remotis, est notissimum, apud quos non minus, quam in patria, sinceros laudatores suæ virtutis habet. Quid dicemus, si vetera merita recolantur? Immortale beneficium est & nullo laudis præconio æquandum, quod illius, qui nunc rerum potitur, ita iuventutem rexit, atque ita sapientia & virtutibus impleuit, ut de OPTIMO PRINCIPLE & benignissimo PATRIAE PATRE nunc omnes nobis gratulemur. Maiora sunt illa merita, quam ut hæc charta capiat, quæ vix iusto libro explanari possunt, ut Xenophontis est de Cyri educatione. Quid multa? quæcunque adhuc vel pace vel bello in augusta Domo Brandenburgica magnifice ac feliciter geruntur, non sine illius consilio, & cura, & prudentia ita geri ac bene etiam procedere quis ignorat? Litterarum vero studia quantum huius ingenio & beneuolentiæ debent? Novimus domum illius asylum eruditorum esse, quos amat, tuetur, ornat præmiis, honoribus amplificat, & quantum in se est, neminem a se tristem dimittit. Nostra autem Fridericiana Academia & plura & maiora in tanti VIRI meritis habet, quæ grata mente reputet æternæ memoriæ dedicanda. Post CONDITORIS sui immortale beneficium, non nescit, quantum summis VIRIS, qui ab illius consiliis secretis sunt, de salute & incremento suo debeat, & singulis etiam debere se non ingrata profitetur: nec vero non intelligit, cuius in primis

consilio & coeptum opus laudabile; & quum difficultas
temporum obstaret, cuius industria non solum expedi-
tum, quod inexplicabile videbatur, verum etiam citi-
us multorum opinione maturatum dedicatumque fue-
rit. Hic etiam est, cui incrementi sui præcipuum quod-
vis imputat, & maiora ex prona illius in litteras volun-
tate expectat, postquam potentissimus PRINCEPS E-
LECTOR, clementissimus Dominus noster, meritorum
eius magnitudine inductus, omnibus consiliis, & rebus
tam foris quam domi gerendis, præfecit, & SVMMVM
PRAESIDEM constituit. Quos maximos honores dum
VIRO INCOMPARABILI & Aula & Prouinciæ gra-
tulantur; nostræ etiam Academiæ, quæ eidem plurimum
debet, cum primis esse agnoscimus, in hac gratulanti-
um celebritate nihil, quod officium est, prætermittere.
Quod vero omnium & publicum munus est, in se spon-
te sua generosus & promptus ingenio iuuenis GEORGI-
VS CHRISTIANVS a STILLE, Eques Marchicus,
suscepit, qui crastino die erudita oratione ILLVSTRIS-
SIMI VIRI & SVMMI PRAESIDIS virtutes, &
quantum inde in rempublicam commodi redundet, di-
serte commendabit. Quem vt vtriusque Reipublicæ
PROCERES & eruditi CIVES, singuli pro generis
splendore, vel munerum dignitate, vel præstantia inge-
nii, honoris causa appellandi, frequentes & beneuoli au-
diant, & suum erga ILLVSTREM FAMILIAM stu-
dium & reuerentiam ostendant, rogamus, hortamur,
admonemus. P. P. Halæ pridie Nonas Septembres
CIC IDC XCV.



Als
Er. EXCELLENTZ
dem Churf. Brandenburg. Hn. Geheimten
Staats-Rath
Eberhard von Danckel-
mann /

zu der gnädigst aufgetragenen
Ober-Präsidenten-Stelle

George Christian von Stille /
in einer Solennen Rede /
auf der Churf. Brandenburg. Friedrichs-Universität

den 30. Aug. 1695.

gehorsamst gratulirte /

Wurde dabey folgende DDE abgesungen.

HALLE / druckt Christoph Andreas Zeitler / Univ. Buchdr.